

Bx 1935

R 45

V. 1



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

82828

## AD LECTOREM

Licet, anno MDCCLIII, typis Pillet et apud J. Leroux et Jouby, Parisiis prodierit in lucem *Juris Canonici universi, ab Anacleto Reiffenstuel juxta titulos Decretalium in quaestiones distributi*, editio compendiarum ad usum seminariorum, illa quam prae manibus tenes, ornatissime Lector, prima editio gallica merito nuncupari debet. Ideo mirum tibi videbitur quod opus tam commendandum solos apud Germanos Italosve usque modo invenire potueris; si rem vero propius perpendas, causam hujusce facti deprehendes in regimine cui olim subjectae fuerunt invitae Galliarum Ecclesiae.

In Galliis enim potestas civilis dominium rerum et personarum Deo sacrarum frequentissime invasit, tanquam, uti clamitabat, sacrorum canonum vindex et defensor, sed verius tanquam libertatis ecclesiasticae occultus sive aut manifestus hostis. Unde tunc temporum necessitas pro canonistis nostris incumbendi regionum placitorum studio aequae ac pontificiarum constitutionum, cum evidenti periculo extra juris calles et semitas vagandi et aberrandi, quod revera saepius accidit.

Hodie, quamvis regalistae moderni a priorum erroribus et excessibus non omnino se abdicaverint, jus canonicum commune, attentis tamen recentioribus concordatis, facilius intelligitur et recipitur. Principia juris canonici vera et genuina apud viros ecclesiasticos, laicos etiam studiosos, sensim penetrare videntur, ita ut auctores excellentioris notae qui, de sacris canonibus disserentes, in tuendis ac defendendis Sanctae Romanae Ecclesiae praerogativis, ut par est, indefessum laborant, prae caeteris quaesiti, recolantur impensius et consulantur.

Idecirco quampluribus viris idoneis et doctis opportunum visum fuit *Jus Canonicum universum Anacleti Reiffenstuel* gallicis supponere praelis, et cuilibet sacrorum canonum cultori fidenter exhibere.

Porro, dum agebatur de modo quo felicem ad exitum opus duci posset, qui

007582

pro viribus consilium fauste inceptum exsequebantur. textui quem Dominicus Ercole, cum licentia Reverendiss. P. sacri palatii Magistri, annis MDCCCXXXI et MDCCCXXXII, Romæ dedit, adhæserunt, existimantes illum puriorem cæteris et emendatiorem. Sed, brevi tempore, præmemoratam editionem Romanam innumeris maculatam mendis agnoverunt, et ideo necesse fuit recurrere ad exemplaria Venetiis apud Antonium Bortoli, annis MDCCCXXX et MDCCCXXXV impressa, quæ multis in locis minus etiam correctæ apparuerunt. Satis erit argumenti, si Lector in textus sequentes, e Romano codice fideliter excerptos, oculos intendere velit. Nobis felicior et perspicacior evadet, qui ænigmata tam obscura sufficienter explicare valebit.

Proœmium, n. 179: seu collective, nam si omnes juris-consulti in eandem sententiam consensissent, sed aliqui dissensissent...

Ibid. n. 187: sancitum atque constitutum fuit; idque immediate proveniente a populo, qui...

Lib. I, tit. II, § VI, n. 136: Navarrus docet... quod lex, antequam recipiatur saltem per majorem partem civitatis cujus pars transgressor, non licet, quoniam promulgari videtur cum conditione, recipiatur saltem majorem partem.

Ibid. n. 417: At vero textus allegatus intelligatur de equitate non scripta, quæ tunc non solum servanda est, cum deficit jus.

Ibid. n. 465: quia tamen creditor canonum...

Ibid. n. 498: ipsis dum tamen rationabilia... editam (nisi expresse in ipsa) non intelligatur...

Tit. III, n. 23: tandem rescriptum secundum legem est quod datur observantiam.

Ibid. n. 89: Adm. Glossa... ac vigore ipsius citatio patris facta est.

Ibid. n. 116: nam primæ generalis tibi... derogat posteriori speciali.

Ibid. n. 225: et hinc rasura intelligitur facta in eo suspecto.

Ibid. n. 247: sermonem esse non de simplici citatione per edictum...

Hæc sufficiant specimina. Uno verbo, in codice Romano centum et decem graviores mendæ, pro hoc primo volumine triginta tantum priores titulos libri primi decretalium continente, et amplius deprehensæ et correctæ fuerunt, levioribus prætermisissis deformitatibus.

Attamen benignissime Lector, cum errare humanum sit, in hac nova editione *Juris canonici universi*, aliquot errata etiam habemus defendenda. In priore Arianum vocabulum *δμοουσιου* locum catholicæ vocis *δμοουσιου* pag. 76 col. 2, fraudulenter obtinuit, et sic, ut opinor, fidei Nicænæ firmissime adhæreas, is in stylo tuo abolendum curabis. Insuper septem adnotationes indicandæ remanent scilicet: pag. 32, n. 137, *Adnotatio IV*; pag. 52, n. 223: *Adnotatio VI*; pag. 95, n. 187: *Adnotatio XII bis*; pag. 119, n. 77: *Adnota-*

tio XV bis; pag. 122, n. 87: *Adnotatio XV ter*; pag. 352, n. 196: *Adnotatio XXXIV bis*; et pag. 377, n. 333: *Adnotatio XXXVI bis*.

Nostris igitur laboribus utere, studiosè Lector, et, qua dabitur, frui. Adnotationes autem quas ad calcem reperies utiles sæpe, necessarias aliquando, reputavi. Ut plurimum non tam meo quam aliorum et quidem magistrorum ingenio sunt adscribendæ; præsertim eruditissimi canonistæ Ubaldi Giralardi a sancto Cajetano, clericorum regularium scholarum piarum, apostolici Romani cleri examinatoris, et collegii ecclesiastici rectoris, qui anno MDCCCLXVIII typis mandavit opus eximium cui titulus: *Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*; tres tomi in f. Illius librum apud Dominicum Ercole, ann. MDCCCXXIX et MDCCCXXX, Romæ denuo impressum, sub oculis indesinenter tenui, una cum pontificiis constitutionibus, quæ post ætatem Giralardi usque nunc promulgatæ fuerunt. An respondeant adnotationes istæ iis quæ in operibus hujusmodi, rebus attentis præsentibus, desiderata manent, tuum est decernere.

Romanum exemplar unum totius operis rerum et verborum alphabeticum indicem præbet, ad calcem nempe tomi ultimi; codices autem Venetiis confecti tot indices habent quod extant operis partes. In hoc satius visum est editoris Romani sequi vestigia. Quapropter nostri voluminis sexti posteriores membranas index materiarum generalis, nec non alter rerum in adnotationibus tractatarum occupavit. Pro coronide tamen uniuscujusque voluminis, duplicem elenchum questionum scilicet et adnotationum Lector inveniet.

Demum super has paginas, bono certe animo scriptas, et super eos qui perlegent illas, ex illo defluant a Patre luminum, Deo Optimo Maximo, benedictiones selectæ; atque omnium corda in obedientiam Ecclesiæ Romanoque Pontifici debitam magis ac magis deveniant, et in eadem fideliter permaneant. *Et quicumque hanc regulam servituri fuerint, mandata videlicet Dei et Ecclesiæ, sacros canones, Sedisque Apostolicæ præscripta, pax super illos et misericordia, et super Israël Dei.* GAL. VI 16.

VICTOR FELLETTIER,

# DOCUMENTA

## PRIMO TOMO EDITIONIS ROMANÆ PRÆFIXA

### BIBLIOPOLÆ LECTORI

Commentario R. P. ANACLETI REIFFENSTUEL in *Jus universum Canonicum* meritis efferendo laudibus impares cum simus, illius encomiis nostrum remittimus. Illius autem sat superque commendant sui auctoris nomen, et tot totiesque repetitæ tam in Germania, quam in Italia, illius editiones, quibus singulis juris canonici peritis abunde innotuerunt tanti et tam eximii operis præstantia, ac utilitas. Unum advertere sufficiat, nos potissimum in hoc insudasse, ut hæc nostra editio cæteris antehac omnibus præstantior evadat, publicisque votis magis accommodata. Quod duabus præsertim rationibus consecuturos fore arbitrati sumus: Prima nempe, si nostri celeberrimi auctoris Tractatum de regulis juris, cum illius appendice, hæcenus a juris canonici commentario distinctum, et seorsim excusum, reliquo operi intexeremus, ut simul unum corpus efficeret; et nihil sic eorum quæ in animo intenderat, velut in quadam præfatiuncula aliquo modo insinuavit auctor, desideraretur, lectorumque expectationi fieret satis\*. Altera si (prout nobis a melioris notæ viris suasum fuit, et juris utriusque consultis semper arridere compertum habemus) indicem, seu repertorium generale totius operis, quod non ea solum quæ in particularibus quinque priorum voluminum indicibus sparsa et inconcinna fuerant, sed et ipsas Tractatus de regulis juris canonici materias, exactiori ordine alphabetico digestas, contineret; in illis duobus pro viribus enixi sumus, et cauti admodum elaboravimus, ne a proposito scopo deflecteremus.

Demum ne quid eorum quæ sunt muneris nostri prætermitteremus, et ut aliquatenus voluminum æqualitati consulere, duplicem pro tertio tomo, ultra modum amplo, titulum excudi curavimus, quo dividi possit a bibliopægis. Omnem itaque operam impendimus, ut hæc novissima editio præcedentibus longe antecellat, et cum omnibus suis numeris prodeat. Igitur quod insumpsimus laboris, commoditati, utilitati quæ inservientes, benevole Lector, despiciere noli, imo ama, eme, frue, et vale

\* Editio Venetiis impressa anno MDCCXXXV tractatum de regulis juris jam continebat.

# DOCUMENTA

## SECUNDO TOMO EDITIONIS ROMANÆ PRÆFIXA

### PRÆFATIO AUCTORIS AD LECTOREM

Est primum Juris canonici universi tomum nuper publicæ luci datum, sequitur hæc, favente DEO, tomus alter, secundum librum Decretalium ipsumque Processum judicarium oculis tuis, Lector benevole, exhibens, eaque, qua licuit, claritate, simul et brevitate, dilucidans. Et quidem claritatis conservandæ gratia, ordo titulorum libri secundi Decretalium Gregorii Papæ IX rite observatur, singulis eorum postea in peculiare quæstiones, numerosque correspondentes distributis: ita tamen, ut tituli copiosiores continentes materiam, prius in paragraphos, et postea primum in quæstiones, numerosque subdividantur; præmisso a fronte libri elencho singularum quæstionum, atque addito in fine copioso materiarum, seu rerum et verborum indice alphabetico, ut in ipsis omnia facilius reperiri valeant\*. Brevitatem vero custodire placuit, tum in resolutiones quæstionum, tum in earundem probatione claris quidem, sed paucis, quantum fieri poterat, verbi utendo, atque neglectis inutilibus ambagibus illico ad fundamenta procedendo, imo et minus utilia studiose omittendo: quanquam ipsa perutilium materiarum copia non nisi justo tomo absolvi, concludique valuerit. Quod si forsitan ob hanc ipsam custoditam brevitem quidpiam occurrerit, quod uberiori discursu declaratum optaret Lector benevolus, adeat ipsosmet auctores, quod idcirco fusius de singulis tractantes, ac plerumque propriis oculis in frontibus inspectos, præter jura copiose allegata, pro singulis notabilioribus materiis fideliter citavi. Quamvis circa hoc ipsum sit notandum, quod, sive ob errores typographicos quandoque irrepentes, sive ob diversas ejusdem auctoris impressiones, factasque subinde numerorum variationes, non raro contingat citationes fallere, aut cum aliis exemplaribus minime concordare: idque præsertim monendum censui propter Josephum Mascardum *de Probationibus*, sæpius in hoc tomo citatum: siquidem juxta editionem Francofurti 1661 impressam, quam solam ad manus habui, omnes ferme ex celeberrimo isto auctore adductas aliorum citationes numerales conclusionum mutare debui. De reliquo noverit Lector benevolus præsentis lu-

\* Cf. ea de re Monitum *Ad lectorem* primo volumini præsentis editionis præfixum.

cubrationes canonicas eo dumtaxat incumbere, ut secundum mentem juris communis deligerent opiniones tutiores, simul et probabiliores; hoc est, subnixas firmioribus ac solidioribus juris fundamentis, decisionibus rotæ Romanæ, aut cardinalium declarationibus, nec non auctoritatibus doctorum: nihil interim detrahendo oppositis aliorum sententiis, quæ una cum præcipuis suis rationibus, saltem loco objectionum adductis, et postea solutis, plerumque allegantur. Multo minus intentionis nostræ fuit quidpiam vel in minimo præjudicare rationabilibus particularium locorum, sive tribunalium consuetudinibus rite præscriptis, aut statutis legitima auctoritate alibi forsitan in contrarium existentibus: nam ipsæmet Constitutiones apostolicæ talibus præjudicare, aut in aliquo derogare, nequiquam intendunt absque speciali mentione, cap. 1 de Constitut. in 6. Omnia vero scripta intelligantur salvo meliori aliorum, ac præsertim sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, cujus altiori censuræ, atque correctioni, verba singula humillime sint subjecta. Quod si igitur quid minus bene dictum, aut obscurius forsitan, oculis tuis occurrerit, Lector benevole, illud vitio scribentis tribuas, sed placidus corrigas: atque in hunc finem versiculis illis, a sancto Bonaventura, doctore seraphico, in *Præfat. Confessionum* humiliter decantatis, supplex te alloquor:

Sis mihi corrector, resecando superflua, Lector.  
Veraque digneris, quæ desunt, jungere veris.  
Omnem defectum, partim studio brevitatis  
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

VALE.

FACULTAS ET CENSURA ORDINARIÆ. — Cum juris canonici tomus secundus Rev. P. Anacleto Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. Francisci Reformatum theologi jubilati, etc., a theologis perlectus, nihil fidei orthodoxæ aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem, jus dicentibus, et in utroque foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo, ut publicam lucem videre possit, licentiam, et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum, etc. — Frisingæ die 25 aug. 1701. — FRANCISCUS ANTONIUS BEGNEDELLIUS BASSUS, SS. Theolog. Doctor canon. capitul. S. scholasticus, vicarius generalis et officialis.

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINIS. — Fr. Matthæus a sancto Stephano, SS. Theologiæ lector jubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci minister generalis, et servus: Dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reiffenstuel, lectori jubilato et concionatori nostræ reformatæ provinciæ Bavaricæ, salutem, et omne bonum.

Cum juxta apostolicas, nostrique Ordinis constitutiones, per idoneos censores, revisum fuerit opus quoddam a te compositum, cujus titulus est: *Jus canonicum*

juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum, etc., tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud typis mandare valeas. — Datum Romæ, die 10 aprilis 1700. Fr. MATTHÆUS, a S. Stephano, minister generalis. — De mandato S. P. Reverendissimæ, Fr. PETRUS ab Urbino, secretarius generalis.

FACULTAS ADMODUM REVERENDI PATRIS MINISTRI PROVINCIALIS. — Cum a Reverendo Patre Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatum provinciæ Bavaricæ ex-custode, lectore jubilato, opus quoddam, cui titulus: *Jus canonicum, juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum*, sit compositum; illudque a duobus theologis jamjam sit revisum et approbatum, plurimumque commendatum, et omnia, quæ de jure in editione librorum sunt servanda, sint observata: tenore præsentium facultatem impertior ut hoc laudatissimum opus pro utilitate publica typis mandari possit. — Actum Monachii, 14 maii 1701. — Fr. BENNO MAIR, Ord. Min. S. Francisci reformat. lector jubilatus, et provinciæ Bavaricæ iterato minister provincialis.

CENSURA THEOLOGICA. — Etiam secundum tomum *Juris canonici* R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ordinis nostri theologi, ac lectoris jubilati, eadem censura donandum judico, qua primum: est enimvero pari judicio in distincta methodo clarissimus: est in dismembratis partitionibus distinctissimus: est in energeticis doctrinis solidissimus: est in utrisque legibus et juribus fundatissimus: est in practicis difficultatibus securissimus: est in occultis, aut obscuris mysteriis apertissimus: est denique in sententiis Patrum et Doctorum illustrissimus. Et quia insuper non tantum contra orthodoxam fidem, ac bonos mores, sanamque theologiam mendosum nihil continet, sed pro bono publico ac privata utilitate plurimum conducit, hinc publico prælo dignissimum censeo. Monachii, die 13 maii, anno 1701. — Fr. FORTUNATUS HUEBER, totius Ordinis S. Francisci et provinciæ Bavaricæ pater.

CENSURA THEOLOGICA. — Post tomum primum *Juris canonici universi* methodice secundum ordinem titulorum traditi, et auctore R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. P. Francisci Reformatum provinciæ Bavaricæ lectore jubilato conscripti, bonis avibus et felici partu, jam editur fulgidissimam in lucem tomus secundus de Processu judicii ordinario, seu liber Decretalium alter, quem de mandatosuperiorum diligenter, qua potui, revidi et introspexi, maxima; thesaurumque inveni doctrinæ sanæ et momentosæ, ad reconditos juris utriusque canonici et civilis sensus rimandos et exponendos apprime proficuum et abundantem; non tantum pro iis, qui jurisprudentiæ operam navare volunt studendo, sed et illis maxime, qui causas tractando, et partibus patrocinando inserviunt, ut advocati et judices. Progreditur auctor pede inoffenso semper, nihil in religionem, nihil in mores impingendo in quaquam: bene tamen pro religione et moribus, tribunaliumque utilitate salutari